



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XLIV. De Decretis Concilii Constantiensis Sess. IV. & V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XLIV.

D E

Decretis Concilii Constantiensis Sess. IV. & V.

Sedes Apostolica permanerat ultra annos septuaginta Avenione in Gallia Narbonensi ad Rhodanum sub variis, sibi succedentibus Pontificibus Romanis, quò eam Clemens V. transtulerat (Itali Transmigrationem Babyloniam vocant) quando Gregorius XI. eandem, cum totius Orbis Christiani applausu postliminio Romam reduxit; ubi hic haud diu post reditum, Anno scilicet 1378. fati cessit. Numerabantur tunc in universum Cardinales 23. Avenione 6. remanserant. Cardinalis Ambianensis in Legatione Serazeniensis persistebat. In Urbe sedecim morabantur; inter quos unus Hispanus, quatuor Itali, & undecim Galli qui die 12^{ma}. post defunctum Gregorium pro more Conclave ingressi, illud militum stationibus, ut Platina perhibet, muniverunt; quando ad preces armatas populi Romani Papam nationalem pretendens (seditiosos, supposito busto, ignem minatos in Conclave irrupisse ferunt) post magnam contentionem die 8^{va}. Aprilis in Pontificem Maximum electus fuit extra Collegium Bartholomæus

Bignanus, Archi-Episcopus Barenensis in Apulia absens, natione Neapolitanus, aut, ut alii volunt, Pisanus, quam electionem, ut libera videretur, ipso die iterarunt. Hic Urbanum VI. se nominavit; & 18. Aprilis die Paschatis in templo S. Petri solemniter Anademate, seu, ut vocant, Tiarâ coronatus, possessionem capessivit. Quanquam verò Cardinales Galli, & tres Itali statim, & quidem ante promulgationem electionis (si quorundam relationi habenda fides) protestati fuerint, quod Bartholomæus ob metum gravissimum electus fuerit; de quo ipsi præsumpserunt, quod Sacrorum Canonum gnarus, hanc informem de se factam electionem agnoscere debuisset invalidam; atque post promulgationem tumultuariam in fugam se dedissent. Reversi tamen ipsi haud longo tempore eundem Urbanum, jam Romæ præsentem, consalutarunt; & tanquam Petri in Cathedra Apostolica Legitimum Successorem reverentissimè agnoscentes venerati sunt. Aliam rerum seriem exponit eruditissimus Abbas Fleury H. E. tom. 20. Lib. 79. Nimirum Cardinalis Electores Urbano ad tri-

ad trimestre constanter adhæserunt, eumque debito cultu prosecuti fuerunt: atque ad sex alios in Galliam Epistolam exarârunt hujus tenoris. *Ut cognoscatis veritatem rei hic gesta; & ne fidem adhibeatis, qui aliter retulerunt; noveritis, quod post Gregorij XI. mortem Conclave 7^{ma}. hujus ingressi fuerimus, & postridie circa horam tertiam matutinam liberè ac unanimiter elegerimus in Papam Bartholomæum Barrensem Anchi-Episcopum.* Hisce sex illi Cardinales Avenione responderunt, quod Urbanum electum agnoscant legitimum Pontificem. Cardinalis etiam Amienfis ex Legatione rediit eundem qua talem veneratus fuit: adeoque ab universo Cardinalium Collegio ex 23. constante recognitus fuit Urbanus Pontifex. Sed quoniam sic electus asperioris erat indolis, & ut apud Suidam proverbii loco habetur, Scabrobor Leberide, valde obnoxius morasitatis vitio; proinde intractabilis, suæque nimium innixus prudentiæ, Cardinales impotenti, increpationibus admodum severis, laceflebat.

Hom. Odyss.

Forfan & innocuos culpet vir savus & acer.

Vix evoluto Trimestre, illi præcipuè, qui thesauros Ecclesiæ post mortem Gregorij expilaverant; quique pro arbitrio suo omnia prius agebant, asserente eodem Platina, Anagniam secedentes, ibidem coram Petro de Crosso Archi-Episcopo Arelatenfi S. R. E. Camerario ac iudice ordinario protestationem ediderunt, sua scriptione ac juramento firmatam, de illata sibi violentia in electione Romæ facta; moxque Urbanum, tum per varios Religiosos & Patres, tum per residuos Cardinales à se missos citant; hortanturque, ut ad præcavendum schisma, Pontificatus sibi nequaquam competentis Insignia deponat. Die autem constituta, Urbanum non comparentem, declarant contumacem, haud Canonice electum, & Sanctæ Sedis incubatorem pronuntiant;

insuper ad omnes Christi fideles encyclicas mittunt. Fundis postea convenientes die 25. Septembris in Pontificem elegerunt Robertum Gebennensem, ætatis 36. annorum, qui Clemens VII. fuit appellatus. Hinc ortum traxit teterrimum & maximè diuturnum illud schisma, quod hæctenus Ecclesia vidit, meritò ARCHI-SCHISMA appellatum. Stabant ab utraque parte Viri sancti, miraculis illustres, Principes, Academiæ, Regna & Provinciæ. Clementi adhæserunt omnes Galliæ, ab Alpibus inclusivè usque ad Belgium & Oceanum Britannicum, Regiones, Scotia, Hispania cum Insulis eidem subiectis, Cyrus, Rhodus & Janua. Urbanum agnoverunt reliqua Regna & Provinciæ, Italia cum suis Insulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, Polonia & Anglia. Habuit proinde Eminentissimus Annalium Scriptor rationes sufficientes cur, formidaret, pervenire scribendo ad hoc tempus, in quo non esset liberè pronuntiare, quid statuendum; ut suo scribit Jacobo Sirmondo.

Mortuo Urbano Anno 1389. à quatuordecim Cardinalibus fuit illi successus Petrus Thomacellus ætatis 45. annorum, qui Bonifacius IX. fuit appellatus; cui anno 1404. successit Cosmatus Melioratus, qui nomen Innocentii VII. assumpsit. Huic, post biennium defuncto, surrogatus fuit Angelus Corarius Venetus, presbyter Cardinalis S. Marci, Gregorius XII. nuncupatus, qui pariter juramentum, ut prædecessor, præstitit ad cedendum Pontificatui, quando comperitor deponeret dignitatem. Clementi interim Anno 1394. in Gallia extincto; posthabitis Regis Galliæ precibus, Cardinales Galli substituerunt Petrum de Luna Catalaunum, qui fuit appellatus Benedictus XIII. eodem juramento in electione adstrictus ad deponendum Pontificatum.

Rebus ita confusis, cum mala per longas invaluissent moras, vix medela ulla sufficere videbatur. Dum interim Academia Parisien-

lis ad schisma tollendum, viam cessionis, compromissionis, aut Concilii Generalis proponeret; placuit hoc ultimum, quando opera Regis Christianissimi, utriusque obedientiæ Cardinales Anno 1408. Liburni in Diocesi Pisana convenerunt de concordia tractantes; & Pisæ eum in finem anno sequenti Concilium celebrandum decreverunt, ad quod duos de Papatu contententes, hisque adherentes Prælatos convocârunt; Proceresque Christianos invitârunt. Desuper quidem protestati sunt Gregorius & Benedictus; nihilominus Pisæ Anno 1409. die 25. Martii Concilium inchoatum fuit, cui interfuerunt 22. Cardinales 12. Archi-Episcopi personaliter, totidem per procuratores; Præfedit Pictaviensis, accesserunt 80. Episcopi, 202. suos miserunt procuratores. Itaque Sessione 15. die quinta Junii celebrata, Patres, visis diligenterque inspectis omnibus & singulis productis, probatis, & exactè agitatis in præsentia causa, duos prædictos, tanquam de Papatu colludentes, schismaticos & veros hæreticos per sententiam depositos pronuntiant; consentientibus cunctis Nationibus, præter Hispaniam citeriorem, Regem Scotiae, & Comitem Armeniani, qui Benedicto adhuc favebant. Deinde die 10. Junii 24. Cardinales Conclave ingressi, prostridie unanimi consensu elegerunt in Pontificem Romanum Petrum Philargi, Candensem, ex Ordine S. Francisci, titulo duodecim Apostolorum presbyterum Cardinalem, Archi-Episcopum Mediolanensem, qui Alexander V. dici voluit. Cumque Benedictus & Gregorius persisterent esse Corrivales; & ut Pontifices à multis agnoscerentur; Pisanum etiam Concilium ab omnibus non haberetur Legitimum, ingravatum est schisma; præsertim quando post 10. menses mortuo Alexandro successus fuit Balthasar Cossa, sub nomine Joannis XXIII. Quamobrem Ecclesiam suam tam longè & periculosè fluctuantem respiciens Iesus Christus, Sigismun-

dum Imperatorem excitavit, qui præclaro accensus copulandæ concordia, pacisque studio magnam partem Europæ obivit, ad utriusque Ordinis tam Pontifices quàm Proceres in unius capitis consensionem traducendos; atque tandem ipse cum Joanne Anno 1413. Laudam venit, ubi illum induxit, ut decerneret Anno sequenti Concilium in Germania Constantiæ celebrandum. Ibidem anno illo convenerunt Patres ferme mille, inter quos plures, quàm 300. Episcopi. Die 16. Novembris habita prima Sessio, ipso Joanne Præsede. Quandoquidem verò Patres decursu temporis materiam unionis tractando, frustra viam cessionis experirentur, in tanta perplexitate pro Ecclesiæ unionem obtinenda, viam correctionis fore efficacissimam duxerunt: præsertim cum Joannes (hic, quemadmodum alii duo, promiserat, & quidem Sess. 2. die 2. Martii Anno 1415. se Papatu cessurum, si duo alii cedere vellent) noctu aufugisset, suosque familiares & officiales avocasset: quod Engelhusius in Chron. refert die 21. à quadam Catharina Prucia propè Basileam reclusa, in schedula Sigismundo missa futurum, fuisse prædictum. Exacerbatis proindè Patrum animis in 3^{ta} sessione, cui duo duntaxat interfuerunt Cardinales, statutum est Concilium per Joannis recessum nequaquam esse solutum; neque dissolvi ante extirpationem schismatis, neque aliò transferri, citra Patrum consensum, posse. Quæ omnia Cardinales Cameracensis & Florentinus non aliâ ratione publicari permiserunt, nisi sub conditione, quod Joannes eadem ratificaret. Hic verò, quia longius fugisset, in quarta Sessione, 30. Martii, primum Decretum conditum fuit, quod in vulgata Editione extat hujus tenoris.

Et primo declarat, quod ipsa sancta Synodus in Spiritu Sancto congregata, Legum Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam representans potestatem à Christo

immu-

immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat obedire tenetur in his, qua pertinent ad extirpationem dicti schismatis & reformationem Generalem Ecclesie Dei in Capite & in membris.

Simile est Sessionis V. Decretum secundum. Item declarat quod quicumque, cujuscunque conditionis status dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis aut præceptis hujus sacra Synodi & cujuscunque alterius Concilii Generalis Legitime congregati, super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis obediri contumaciter contempserit, nisi respuerit, condigna poenitentia subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris remedia, si opus fuerit, recurriendo.

Hæc Historia est embolium controversiarum multiplicium & ingentium de horum Decretorum sensu, valore & autoritate. Cæteris omiſſis, juxta suscepti instituti rationem, hic solum discutienda veniunt, quæ factis nituntur. Primò. An Decretum Sess. IV. integrum, ut refertur, fuerit editum, & in eo nihil redundans, impertinens, aut interpolatum, scilicet illud. *Et ad reformationem Ecclesie Dei in Capite & in membris.* Secundò. An Decretum illud tum Sess. IV. tum Sess. V. conciliariter, atque ab œcumenica Synodo fuerit conditum. Tertio. An Decretum idem fuerit à Sede Apostolica approbatum. In hac arena comparet exercitissimi hoplomachi Emanuel Schelstrate & Ludovicus Maimburg, unà cum Elia Du Pin. Et hi quidem pro Decretorum integritate, valore & autoritate fortiter decertant. Alter verò eorundem insufficientiam ac inanitatem demonstrare conatur.

Utrobique reperiuntur asseclæ plurimum exercitati. Atque imprimis Concilii Constantiensis Decretum Sessionis IV. supra memoratum, ut nunc refertur, omni sua parte esse integrum, nec quidquam illi manu

aliena appositum, probari posset his argumentis.

I. Generale Concilium Basiliense septem viros, probitate morum inclytos non minus, quam rara eruditione conspicuos deputavit, qui Acta Concilii Constantiensis accuratè lustrarent: quorum compilationem idem Concilium Anno 1442. Non. Februarii sua autoritate roboravit, & speciali Bulla præcepit, huic compilationi suæ in omnibus plenam fidem esse adhibendam, proinde ac si præfati Concilii Constantiensis Bulla foret. Atqui in hac ipsa compilatione Decretum Sessionis IV. illam periodum continet, de qua in præfati agitur. *Et ad reformationem Ecclesie Dei in Capite & in membris.* Ut patet imprimis ex compendio Actorum MSS. quod Hieronymus de Croaria, Professor Juris Ingolst. publici Juris fecit Hazenaw Anno 1500. deinde Parisiis An. 1506. in quo eadem Concilii Basiliensis Bulla legitur, præcipiens, ut huic compendio talis fides ac ipsa Actis idiographis habeatur. Hoc autem compendium fuit apographum compendii Joannis Houber, quod hic descripsit ex apographo authentico desumpto ex Archi-Typo Concilii Basiliensis, collatumque per Michaëlem Galteri, Secretarium ejusdem Synodi. Eadem apodosis habetur in variis Editionibus istius ac sequentis sæculi. Imprudenter itaque dubitaretur de ejusdem Decreti integritate ac sinceritate, tam exactè discussi.

II. Decretum illud Sess. IV. spatio trium sæculorum, ut refertur, fuit habitum tanquam genuinum & incorruptum ab omnibus Eruditis, & Codices antiquissimi MSS. in Gallia, continent illa verba ad finem ejusdem Decreti, inter quos unus extat Parisiis apud S. Victorem, quo plurimum usus fuit Henricus Spondanus, & testatur Lud. Maimbourg illius Canonice alumnus, haberi in illo MS. extractum Sessionum, quas, ut celebrantur, illi, qui pro parte Nationis Gallie

Concilio aderant, Lutetiam mittebant. Deinde Joannes Geison, de cuius fide dubium esse nequit, utpote oculari testis, refert pluribus locis hoc Decretum Sess. IV. coram toto Concilio cum hac clausula. *Et reformationem in Capite & in membris* fuisse lectum.

Constantiensis Concilii Decretum Sess. IV. ut nunc refertur, esse partim mutilum, partim redundans; in quo scilicet aliquid deest, quod apponi deberet, & aliquid adjectum, quod omittendum esset; proindeque esse adulteratum & corruptum contendit citatus Schelstrate. Atque imprimis supponit tanquam certum ex vetustissimis MSS. quod, cum Nationes in illo Concilio congregatae auctoritatem Concilii supra Pontificem extollere molirentur, & illam clausulam. *Ad reformationem Ecclesie in Capite & in membris.* insertam vellent, Cardinales obstiterint, qui una cum Regis Gallie Oratoribus ad dictam Sessionem IV. venire recusaverunt, nisi deleta illa clausula, & omisso Decreto, de potestate coercitiva Concilii supra Pontificem: ipsique Cardinales, congregati eadem Sessione, Nationes publice admonuerunt, quod supradicta sint absque sufficienti examine & debita deliberatione conclusa. Quare memorata clausula, in dicto Decreto primo, & Decretum secundum omitti necesse fuit. Et quia omissa postmodum in compilatione Basiliensi fuerant posita; Editio prima Actorum istorum non debet censei genuina; & alie Editiones subsequentes, quae ex hac compilatione prodierunt sunt ejusdem commatis, in quibus scilicet Decretum primum corruptum ad manus nostras pervenit non solum per additionem: sed etiam per omissionem. QUO AD FIDEM. quae post illa verba. *Obedire tenetur in his, quae pertinent.* poni debent. Hae enim reperiuntur in antiquissimis MSS. etiam iis, quibus Basilienses usi fuerunt. Quare à Petro Crabbe Minorita Mechliniensi in Editione Anno 1538. eadem verba merito fuerunt adjuncta.

Hanc autem omissionem ex Tabellarii officiantia, quae quorundam est conjectura, contigisse, nemo prudens credet; imo hoc sustinere injuriosum est Proto-Notario Apostolico, qui manu propria & sigillo suo publicam fidem fecit, quod transumptum Actorum istius compilationis Anno 1490. conveniat cum authentico exemplari, scripto in pergamento, plumbeo, in cordula serica pendente, munito Sigillo.

Quod verò in eodem Decreto, de quo hic praecipue controversatur, sit adjectum illud. *Et ad reformationem generalem in Capite & in membris.* Constat ex eo, quod tres Codices MSS. continentes Acta Concilii Constantiensis, à Notariis illius conscripta, ex quibus Basilienses, ut in titulo compilationis profitentur, sua compilaverunt, non continent verba ista in Decreto hujus Sessionis. Item Codices alii quatuor MSS. continentes gesta indubitata praetatae Synodi, quorum duo circa illius celebrationem scripti, licet habeant multo plura, quam hactenus edita, nullam tamen faciunt mentionem verborum in hoc Decreto, de quibus controversatur. Quinimo ex istis codicibus, post haec Decreti verba. *Iste (articulus) imperfecte fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti.* Quibus indicatur, clausulam de reformatione Ecclesiae in Capite & in membris, abesse debere à Decreto primo Sessionis IV. Ita ferè Emanuel Schelstrate *Dissertat. de sensu & auctorit. Decretor. Constantiensium* Antwerpiae 1683. Quae reperitur *Tract. de Sens. & auctorit. Decretor. Const.* ubi insuper testatur duos Codices antiquos continentes Regestum Actorum istius Concilii à prima usque ad ultimam Sessionem prorsus nullam mentionem facere in hoc Decreto de reformatione Ecclesiae in Capite &c. atque in quamplurimis aliis, à se visis Codicibus praedicta verba desiderari, neque reperiri in iis Codicibus, qui extant in Bibliotheca Caesarea Viennae, aut in Bibliotheca

theca Salernitana prope Constantiam, neque in aliis reliquis Germaniæ: ut indubitatum sit à Basilienfibus erroneè illa fuisse Decreto Sess. IV. adjuncta, & à Collectoribus Conciliorum, errore Basilienfium decepris, sic edita, Binio, scilicet & aliis, quorum Acta magis completa, quam Joannis de Croatia: sed magis tamen ampla quam illa, quæ collegit Van der Hart jussu Ducis Brunswicensis: quamvis Joannes Harduinus Soc. Jesu in sua Collectione novissima Conciliorum fateatur, se nihil habere, quod huic collectioni superaddat.

Porro dum Trivoltientes in suis *Ephemer.* dicunt, Historiam Concilii Constantiensis scriptam per hominem rebellem contra auctoritatem omnium Conciliorum, & contra proprium Regem, proinde scripta debeant esse suspecta; respondet L'Enfant quod Scriptor è Protestantibus non possit dici rebellis, quia non credit infallibilia Concilii Decreta. Quæ responsio non tam solida quam stolidam videtur.

Atque ex supra dictis Argumentum primum, quod in contrarium producitur, enervatum censetur. Neque multum suffragii præstare poterit aliud de trium sæculorum possessione; *Quia veritas sempiterna quedam res est, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium nationum.* ait Tertull. *Lib. de præscript.*

Libros in Bibliothecis Parisiis extantes, qui Victorino consonant, præfert quidem Maimbourg Codicibus in Bibliotheca Vaticana, abs Schelstrate repertis: sed hic contendit perperam ab illo fieri præferentiam talem, quandoquidem Vaticanos Codices non viderit: quin potius quemvis ex iis præferendum judicat Codici Victorino, sibi aliisque novissimo; cujus Author, Parisiis commoratus, decipi facillimè potuit; cum Decretum à Nationis Gallicæ Deputatis, Constantiâ Parisios præcipitauer missum, non ut pro-

mulgatum, sed in Natione sua conclusum, scripte; præsertim cum ipsemet conqueratur de inverso aliquoties Ordine eorum, quæ de Actis illis in Codice suo notaverat.

Quoniam verò Maimbourg mercenaria loquacitate, ut est apud Apulei: in *princip. Apol.* plurium verborum apparatu ex Gersonis Operibus Decretum illud Sess. IV. citat, in quo illa verba continentur, de reformatione Ecclesiæ in Capite &c. usque adeo, ut exinde Schelstatium stratam puter, ipse loca illa curiosius inspiciendo, requirit Maimbourg diligentiam; & in eo hallucinatum fuisse ostendit, quod Gerson locis citatis de Decreto, non Sessionis IV. sed V. loquatur: quæ hallucinatio ansam præbuit suspicandi, clausulam de Reformatione in cæteris MSS. Victorinis non reperti, quæ Decreto quæstionis inesse prætendunt: eaquæ augetur suspicio, dum Maimbourg fatetur eo modo reperti in MSS. Victorinis, aliisque Codicibus, quo à Gersone citantur: citatur autem ab hoc Decretum non Sessionis IV. sed V. Ergo & in iis ita reperitur; ut reperti testati sunt plures, qui libros illos Parisinos viderunt; inter quos unus est à Monacho Sanc-Dionysiano, tempore Concilii Constantiensis, scriptus; in quo Decreta ex speciali Galliæ Legatorum relatione continentur sine mentione clausulæ, de qua agitur; fuitque editus liber ille Anno 1663.

Dum Schelstrate hoc modo pro suis Codicibus decertat, aliosque productos oppugnat, vix tamen allequitur, ut MSS. à se in Bibliotheca Vaticana reperta, ab omni suspicione vindicer: & quotquot non solum in Gallia per Maimbourg, Baluzium, Nat. Alexandrum &c. lecti & producti sunt: sed & illos, qui in Germanicis Bibliothecis cum illa clausula concernente extant, corruptos ac vitiatos esse persuadeat. Næ idem Crabbe fatetur in Præfatione, se Codices

dices (utique in Germania & Belgio) collegisse , quibus usus fuit , nullam tamen Lectionem variantem in Decreto Sessionis IV. invenisse ; Deinde Laurentius Surius , vir industrius , in sua observat Editione , in MSS. exemplaribus longè plurimis , undequaque quaesitis , quibus usus fuit , & inter quæ nonnulla erant admirandæ vetustatis , ad quorum fidem se aliquot locorum millia emendasse , plurima illustrasse in Domino gloriatur , nullam variantem Lectionem hic inducit ; sed Decretum Sessionis IV. iisdem verbis edidit , quibus vulgo legitur . Neque Severinus Binius varietatem in eo , quemadmodum alibi frequenter , notat . Unde satis colligere licet , hos , aliosque recentiores Conciliorum Collectores , uti & Romanæ Editionis curatores , in Codicibus non aliter legisse , quam in ipsis transcriptis habetur . Du Pin autem , cum suam sparram tueri nollet intermittere , retorsione utitur , *De Antiq. Eccles. Discip. Dissert. 6.* Fertque centuram , quæ pluribus visa est temeraria , de Bibliothecis Romanis & Libris istis , quos inde suus profert Antagonista , quasi de eorum antiquitate non constet ; & quidem è loco suspecto deprompta sint , *Bibliothecis scilicet Urbis Romæ , in quarum MSS. certum est , pleraque eorum , quæ Curia Romana adversabantur , esse erasa aut omissa.* Maneat interim Schelstratio integra fides , maneat citatis ab ipso Codicibus sua quoque autoritas ; veruntamen cæteros omnes Libros corruptos , interpolatos , mendosos ; aut viros integerrimos , qui iis usi sunt , legisse inibi aliquid , quod scriptum non erat ; quis crederet ? Nequaquam poterit veritas , quæ , ut Augustinus ait , bonum indivisibile est , utrique parti adjudicari , ubi in illis tanta reperitur dissimilitudo : nec adeo in promptu est , ut veritas alterutri parti adjudicetur , dum in repugnantibus tanta apparet verisimilitudo . Ad hanc stabiliendam , conformiter Decreto Congregati Cleri Galli-

cani Anno 1682. atque observationibus Facultatis Theologicæ in Academia Parisiensi , Pater Nat. Alexander H. E. tom. 8. *Secul. XV. & XVI. Dissert. 4.* has suffulturas substituit .

Concilium Pisanum , cujus Constantiense fuit Continuatio , aperte declarat Sessionem Generalem Ecclesiæ in Capite & in membris . Et quia tam necessarium opus perficere non potuerat , ideo ad proximam Synodum illud remittit . Præterea nisi addantur , quæ Schelstrate deesse vult , verba . *Et ad Reformationem Sc.* mutilum erit Decretum . Denique Decreta Constantiensia in omnium manibus versabantur , antequam Patres Basilienses Synodum inchoassent , & ad omnes Ecclesias pervenerat , quod Constantiæ in Synodo statutum fuerat ; impossibile proinde erat eorum interpolatio , nisi omnia Exemplaria , quæ sparsim in varias Regiones invecta fuerant , supprimerentur . Quodsi aliqua horum Decretorum à Patribus Basiliensibus falsificata fuissent , hoc ipsis exprobrassent Eugenius IV. Cardinales , Episcopi , Theologi , Papæ adherentes , quod tamen minime factum fuit . Moraliter impossibile est , ut Synodus tota , cui præerat vir severæ virtutis , constantissimæque integritatis , Ludovicus Alemanus , Cardinalis , & Archi-Episcopus Arelatensis , cujus sanctitas miraculis comprobata est , & in Beatorum Album à Clemente VII. P. M. adscriptus , cui adfuerunt sacerdotes intemeratæ conscientiæ , summo consensu in Decretorum præcedentis Concilii Generalis interpolationem convenissent .

Verum hæc Viri eruditissimi sublicita videntur cariosa . Licet enim Concilium Pisanum , citata Sessione , reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris urserit , & ad futurum Concilium remiserit : hanc tamen ipsi Sessionis IV. Decreto fuisse insertam , nequaquam inde deduci poterit . An autem

mutilum

mutilum foret hoc Decretum, si clausula illa non adset, controversitur; & tam facile ab aliis negatur, quam aucter ab Alexandro asseritur. Versabantur quidem Constantiensis Concilii Decreta in multorum manibus, antequam Basilienses compilationem Actorum ordinassent; neque tamen omnino impossibilis erat eorum interpolatio; etiam si exemplaria omnia non fuissent suppressa: siquidem & interpolata fuisse quædam, & alia genuina exemplaria, unde interpolatio probatur, remansisse, pars adversa contendit. Quoniam verò duo Episcopi, & duo Theologi, atque Archi-Episcopus Zagrabiensis, quibus hæc provincia à Basiliensibus commissa, illam Actorum compilationem prius Anno 1452, abolverant, quæ deinde publicam lucem aspexit; mirum non est, quod Eugenius IV. Basiliensibus eandem interpolationem non exprobraverit; hic enim jam ante quinquennium ex hac vita discesserat. Ludovicus Alemanus etiam ante biennium obierat, proinde in Decreti interpolationem nequivit consentire.

Neque moraliter impossibile videtur, ut post jam dissolutum Basileæ Concilium illi convenirent in dictam interpolationem; qui, Schismate infecti, convenerant in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus. *Schismatis emphasis, & ipsum nomen accusationis sufficiunt ad eos tangendos.* scribit Chrysof. *hom. 3. 1. Cor.*

Consent quidem P. Alexander, nil interesse, in qua Sessione illa declaratio facta fuerit, quandoquidem in Sess. V. ejusdem Synodi habeantur expressa illa verba. *Et ad reformationem Ecclesie in Capite &c.* prout omnes fateri debent; ideoque inutile videri disceptationem instituere, an in Sess. IV. repetiantur. Eadem item habentur in Sess. VII. quando Joannes XXIII. citatur. Ter quoque repetuntur in sententia suspensionis adversus eundem Pontificem Sess. X. Verum longe aliter alii opinantur; & Schelstrate

Tract. cit. Dissert. 1. cap. 3. nullum posthac reperiendum putat, qui non iudicet plurimum interesse, quod Decretum cum clausula de reformatione duntaxat Sess. V. prælectum fuerit. Cum enim agatur de Decreto, quod varias ob rationes in dubium vocatur; quo plures rationes militent contra illud; eò magis infirmari necesse est. Et licet neutra Sessio multum vigoris habeat; differt tamen quinta à Sessione IV. quod illa, contradicentibus gravioribus de Obedientia Joannis Papæ Patribus, celebrata sit; dum Sessio IV. consentientibus plerisque habita sit, ut ex sequentibus magis patebit.

Interim extra ambiguum collocari debet, de re majoris momenti tractari, quando discutitur, num Decretum Sess. V. fuerit Synodicè factum. Joannes Gerson, Edmundus Richerius, Joannes de Launoy & cæteri penè omnes, qui inter Parisienses academicos hunc taxum volvunt, id communiter asseverant; imo velut certum tenent. E contra inficiantur Bellarminus &c. ac recentissimè Schelstrate, qui testatur, quod ex omni Natione viri gravissimi tradiderint, Decretum illud nequaquam tanti faciendum, quanti olim id æstimavit Gerson, quasi contradictionem non pateretur: siquidem id ipsum plures Doctores in dubium revocant.

I. Quia Decretum illud Sess. V. sine deliberatione sufficiente, & debito tantæ rei præmittendo examine præproperè statutum fuit, ut Cajetanus in *Opusc. de Author. Papa & Con. cap. 8.* observat. Cum enim materia in ipso Decreto contenta magnis obnoxia esset difficultatibus; proindeque maturam exigeret deliberationem; prout sacrum Collegium Cardinalium in Sess. IV. Nationes publicè admonuisse constat ex gestis ejusdem Synodi. Illa autem deliberatio in arcto temporis fieri non potuit; neque ante Sessionem IV. neque ante V. illius omissione deliberationis Decretum expeditum, & non expen-

sum

lum suo vigore carere dignoscitur. Rectissime censuit Symmachus, dum *Epist. 25. auct.* scripsit. *Magnarum deliberationum non debet citum esse iudicium: nec temerè proferenda sunt, quæ servanda in perpetuum sancuntur.*

Non potuit autem fieri deliberatio illa ante Sessionem IV. quia Joannes Gerson biduo post fugam Pontificis Joannis XXIII. die 23^{ta} Martia habuit orationem coram PP. Concilii de Autoritate Concilii Generalis supra Pontificem: & cum hæc quæstio nunquam antehac fuisset agitata, ipso Maimbourg teste *Tract. de magn. Schif. Occid. ad annum 1415.* hinc occasione illius sermonis orta fuit; ut ex Authoribus synchronis idem Scriptor ostendit. Gerson autem in illa oratione fateatur, quod pridie requisitus ad dicendum, eam unica nocte composuerit, postquam immediatè Sess. IV. habita fuit die 30^{ma} Martii Sabbatho sancto. Quando nam ergo fuit materia illa maximi momenti, Consultis antiquorum Patrum monumentis, communi deliberatione maturè riteque examinata? Quando secundum regulas, Ecclesiæ traditionem, ut decebat, bene discussa atque ad fidei normam applicata? Quomodo ante sermonem illum schedicum, ut inelaboratum vocat Apulejus *De Dem. Socrat.* à Nationibus fuit exagitata? Quidquid prætendat Maimbourg in *Tract. Histor.* sibi manifestè contradicens. *Festinatio improvida est & cæca*, ait Livius *Decad. 3. Lib. 2.* Fuit quidem 26^{ta} ejusdem mensis dum Sessio III. celebrata, à Cardinalibus Schaffhulæ, ubi Joannes Papa morabatur, desuper contentio magna hinc inde facta, si Theodoro Niemo in *vit. Joan.* credimus: sed nihil deliberate; quin potius tumultuariè & cum clamore strepitantium in privato illo consortio assertum fuit. Postridie, rejectis, quæ pro parte Joannis per Cardinales offerebantur, vociferatum fuit. FIAT SESSIO; atque interea à tribus Na-

tionibus Decreta sunt cusa & conclusa de autoritate Conciliorum: & quidem ita præcipitanter, præposterè atque inconsultè; ut Cardinales, qui nihil sciebant de tractandis in Sessione, unà cum Legatis Regis Galliarum ad eam venire recusarent; quia super illas definitiones non fuerunt habitæ, nec sufficienter petitæ deliberationes eorum. Ita Schelstrate *L. c. Dissert. 2. cap. 1.* citans Regestum ex duobus MSS. Codicibus; qui in compendio Chronologico ex Abbate Panormitano similia perhibet.

Cum autem adhibitum fuisset quoddam moderamen in expediendis in Sessione illa statutis: ut scilicet omitteretur secundum Decretum de potestate coercitiva, & in primo de reformatione Ecclesiæ &c. Cardinalis Florentinus, cujus erat pronuntiare Decreta, advertens omittenda, non fuisse in schedula delata; substitit, eaque falsa esse, & præter communem deliberationem addita asseruit. Unde non solum tunc omiſsa clausula de reformatione &c. sed insuper Cardinales monuerunt Nationes, quod suspenderent ad tempus materias illas, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem. Hæc Acta, si sint Authentica; quod L. c. negat Du Pin, cui videntur Commentarioli cujusdam, qui Concilio adfuerat, Pontificis partibus addicti; cum nihil simile habeatur in veris & genuinis Actis; si, inquam Authentica forent, fuit istius infœlicis postmodum Doctoris Parisiensis obtentus, quasi in exorta controversia duntaxat ventilatum, an post discessum Papæ Sessio inchoanda. Siquidem manifestè liquet, de materia tractanda, pariterque pensanda sermonem incidisse.

Neque apparet negotium illud gravissimum ante Sessionem V. fuisse sufficienter ad trutinam revocatum. Esto enim quidam fuerint deputati, qui, quasi de re exigui momenti cum Cardinale Florentino de Superioritate Concilii

Concilii supra Pontificem agerent ; publicum tamen examen non fuit institutum , neque aliquod habendum esse coram Concilio fuit ordinatum ; neque etiam communi consilio ea de re quidquam conclusum : sed postquam aliquantulum inter eos fuisset disputatum , & res per transennam , ut Cicero loquitur , obiter inspexissent , die 2^{da} Aprilis , quatuor Nationes inter alia multa statuunt , quod *Proxima Sessione (NB.) prætermissa expediatur.* Fuit autem Sessio V. habita octiduo post IV. Ex ipsismet etiam Concilii Actis à quatuor Notariis conscriptis habetur ; eadem Sessione V. fuisse Decreta publicata TANQUAM PRIUS CONCLUSA ET DELIBERATA ; scilicet sine interposita nova deliberatione , & Concilium in hæc priorum conclusioni , quam Nationes die 27^{ma} Martii cum superficiali & insufficiente deliberatione posuerant. Verum itaque , quod Cardinalis Cajetanus *loc. cit.* animadvertit in Sess. IV. & V. nullam disputationem aut disquisitionem intercessisse ; nec delectos fuisse ad hoc viros doctos ad disserendum ac tractandum ea , quæ in fidei doctrina essent constituenda , quod cautum , asserit postea in Concilio fuisse Sess. VI. *Ita si quis* , subintert Ganus proximè citandus , *tradita Sessione IV. diligenter expendat ; inveniet ea non formam habere Decreti , quo videlicet aut fideles obligantur , aut contrarium sentientes explodantur &c.*

Hæc si animo præiudiciis libero pervolvere voluisset Nat. Alexander , qui *L. c. art. 3.* non veretur scribere , nullam falsitatem esse majori veneratione & confidentia prolatam ac scriptam ; forsitan intermisisset interrogare , unde constaret , quod Bellarminus inquit , Decretum illud sine ullo examine factum. Non constet , ut contendit quidem ipse ex Authoribus cœvis , aut supparibus , quod referunt Acta citata & Codices MSS. minime suspecti ; sed neque ex iisdem Scriptoris contrarium colligere licet (esto illud

autemet Alexander) quoadusque producantur , qui veraciter testentur debitam & sufficientem deliberationem à Patribus Concilii fuisse adhibitam , antequam Decretum illud promulgatum. Nam ut JurisC. fert *actioama. Facta non presumuntur : sed probari debent.* Maimbourg quidem *tract. cit.* asseveranter tradit Decreti materiam de Superioritate Concilii supra Pontificem antea fuisse discussam ; imò nullam unquam aliam quæstionem melius examinatum , quam istam ; quippe ex Universitatibus diversis in Concilio Pisano convenerint de mandato Cardinalium tres supra centum , ut deliberarent super hac materia ; quorum iudicium Episcopus Novariensis ex cathedra legit , adiecitque huic esse censuram conformem Universitatis Bononiensis , item Florentinæ ; quam sententiam dederat in scripto à 120. Doctoribus subsignato. Et cum Pisanum Conciliū hanc quæstionem de Concilii Superioritate deciderit , dici nequit illam non fuisse plenè & sufficienter discussam ; quando Conciliū Constantiense , quod veluti est Pisani continuatio , hanc suis Decretis inseruit decisionem ac promulgavit. De quibus si fingere liceat , quod sine examine facta ; via omnibus hæreticis aperiretur ad Conciliorum definitiones elidendas , omniumque Decretorum vim in materia fidei enervandam. Atque hæc est citati Authoris ecloga.

Verum enimverò , sicut hæreticis familiare esse solet , ea etiam penitus negare , quæ minime facta fuisse vellet : sic debite facta esse convincuntur , quæ in Conciliis Generalibus promulgantur fidei Decreta : proindeque vim suam obtinere , quando ex requisitis nihil omnino defuisse aliunde compertum non habetur : & hinc fideles omnes iis parere debent. Econtra , si hæreticis quæcunque demum quorumcunque Conciliorum Decreta , sine ulla habita ratione , quemadmodum facta & pronuntiata sint , de quorum nullitate dubium esse nequit , vellemus in

probationem credendorum iis proponere ; aut contradictionem manifestam incurreremus ; aut redargutionem ineluctabilem subiremus. *Commune est credo mihi*, scribit Canus *Loc. com. Lib. 3. cap. 5. omnibus Ecclesiis iudicibus*, ut, si Decreta ediderint, temeritate quadam sine iudicio, repentino quasi vento incitati ; nihil omnino conficiant, quod solidum, quod grave, quod certum habetur. Dum autem ad itabiliendum Decretum quaestiones Maimbourg Concilii Pisani auctoritatem adducit ; parum apud Adversarios efficit. Præterquam enim, quod auctoritas illius Concilii (S. Antoninus *part. 3. Chyron. tit. 22. cap. 5. §. 5.* Conciliabulum vocat) non sit extra ambiguum, in Actis illius, quæ Lucas D'Acherius *tom. 5. Specileg.* edidit ex tribus Codicibus antiquissimis, habetur quod Doctores illi convenerint, & habita fuerit deliberatio super materia, an duo illi de Papatu contententes essent reputandi schismatici & pertinaces hæretici ; & postea in eam opinionem conspiraverint, quod ut tales sint habendi : in quorum opinionem pariter consenserunt dictæ Universitates : de cætero nihil quidpiam, ad rem faciendam, inibi reperitur. Ut oculus, qui per nebulam aut aquam inspicit, res metitur falso modo : sic animus, qui per opinionis nubem.

Cum itaque ex antedictis satis superque evictum videatur, quosdam inconsulto quopam impetu abreptos, ac in incondito tumultu Decretum illud inlubidum nimis præcipitanter concepisse, quod non nisi mature, cum otio, sedate, cum attenta consideratione, & maxima deliberatione prius expendendum quam expediendum erat : Hinc quoadusque Maimbourg aliisve non exprimat loca & verba, tempus & personas non indicet, ubi, quando & à quibus materia de auctoritate Concilii supra Pontificem tractata fuerit cum diligentia, quæ à festinatione est alienissima ; qui ex adverso sunt ipsum Decretum, velut præpropterea partium re-

jicient. Siquidem juxta Apulejum cit. *Nella res festinata est examinata.*

II. Ea tempestate Constantiæ cuncta negotia tractabantur Nationum suffragiis : cum tamen vigore Canonum statutorum jus suffragii non competebar nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archi-Episcopis & Episcopis. His verò posthabitis, imo contradicentibus, Decretum hoc Sess. V. promulgatum fuit, quemadmodum ex variis monumentis ac MSS. Actis, qui in Bibliotheca Parisina sunt, probari potest. Nam dum post Joannis firmam Cardinales prætendissent suffragium à suffragiis Nationum distinctum, remissi ad suas Nationes recusarunt, se iis unire. Et sicut ea, quæ Sess. IV. & V. statuta erant, iis non sunt communicata : sic neque per se aut Cardinalem Præsidentem, aut Nationum Præsidentem suffragium tulerunt. Dumque Oratores Galli eidem Sessioni interesse nollent, ac statuendis contradicerent, Cardinales protestati sunt, se vitandi scandali causâ, non animo consentiendi statuendis, venire. Insuper & Præses Franciscus Zabarella Cardinalis, Florentinus Archi-Episcopus renuit Decreta promulgare, quod Episcopus Pofnanientis fecit. Igitur à veritatis vicinia multum abest, quod Basilienses orbi Catholico conabantur obtrudere, quasi omnes PP. Concilii Constantiensis convenissent in unam eandemque sententiam, ut Decretum illud ederetur.

Ast positis his omnibus, si non concessis ; nihil inde contra valorem & auctoritatem Decreti posse inferri opinantur Duumviri citati. Siquidem, haud obstantibus illis oppositionibus, contestationibus & secretis protestationibus Cardinales, aliique protestantes venerunt ad Sess. V. Et sicut Spiritus sanctus univit omnium animos, ut dici poterit. *VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS.* sic postmodum Decreta illa communi consensu per *PLACET.* scilicet nullo contradicente, in forma conclusa

fuere promulgata, quemadmodum legere est in Actis. *Quibus articulis seu Constitutionibus lectis Concilium eos & eas uniformiter approbavit & conclusit.* Hanc itaque exceptionem aut prætensionem de defectu consensûs, à quibusdam Theologis ultramontanis recenter excogitatum nullo-niti fundamento, aut certe ruinoso & caduco ex gravissimis monumentis demonstrare Theologos Parisienses paratragediat Alexander L. c. §. 7. subjungens, eisdem quoque Doctores probare ex Gersonio aliisque, quod merum sit figmentum, quasi Christianissimi Regis Oratores contra Decreta Concilii Sess. V. fuissent protestati, quæ recepta sunt in Sanctione pragmatica apud Bicuriges in Conventu Generali Ecclesiæ Gallicanæ condita. Similia in medium adfert Maimbourg. Sic Doribus Doricè loqui fas est.

Occurrit verò Schelstrate & æmulum suum insimulat doli, quo etiam Basilienses usi fuerunt; nimirum quod verba solum producat suæ causæ deservientia; omittat, quæ in contrarium obstant, scilicet Cardinalem Florentinum sese opposuisse, & constanter renuisse pronuntiare illa Decreta. Neque duntaxat Joannes Pontifex, ut constat ex appendice hujus Concilii tom. 1.1. edit Labbeana, negavit se à Concilio cogi posse, & tum ore tenus coram Oratoribus Galliarum, tum in variis Epistolis contra illius attentata conquestus est: sed etiam Eugenius IV. in Apologia contra Basilienses tradit, quod contra Decreta de autoritate Conciliorum nonnulli reclamaverint Assessoribus; qui strepente multitudine gravati audiri nequiverunt. Eiusdem tenoris sunt, quæ Rodericus Calaguritanus Episcopus *Dialog. de Auth. & potest. Rom. Pont.* inserit, quod scilicet contra Decreta Sess. V. in Concilio Constantiensi reclamaverint complures Prælati & Doctores. Ac ne fortè dicatur post illas reclamaciones consensisse, ut fieri amat in congressibus; Testatur Joannes Cardinalis Turrecremata

Lib. 2. de Eccl. cap. 99. qui in minoribus constitutus huic Synodo interfuit, quod plures Patres doctissimi non præstiterint consensum suum aut assensum. Sed neque poterunt illum præstare; eo quod postulantes à Nationibus, quatenus ipsorum Collegium quoad suffragium, unum votum cum ipsis haberet, repulsam passi sint: ipsi autem Nationibus sese consociare semper detraxerunt. Frustra interim Illustrissimus Spondanus hanc repulsam restringit ad litteras & subscriptiones Synodicas. Nam quoad suffragium in Sessionibus publicis Cardinales contemptui habitos & repulsos, patet tum ex memoratis Epistolis Joannis, tum ex quatuor Codicibus MSS, tum denique ex Actis Concilii, in quibus non ante Sessionem XI. Cardinalem Præsidentem pro se aut sacro Collegio suffragium tulisse refertur. Imo ex iisdem gestis in aperto est, quod prius Sess. XIV. pro unione Gregorii XII. admissi suffragium obrinuerint, quando responderunt quatuor Prælati pro quatuor Nationibus, & Cardinalis Ostiensis pro Cardinalium Collegio, PLACET. *Et hoc* (ut produnt eadem Acta) *nunc primum responsum est ex parte Cardinalium.* Huc amandandus in continuo felle amaritudinis scripturiens inter Protestantæ melior habitus Theologus quam Historicus, qui in sua Historia, quam *Christianam* vocat *Sæculo XX. §. 9. n. 3.* inutiliter blæterat. *Falsum supponit Schelstrate aut non facta esse illa decreta Constantiensis Concilii, vel synodice, quæ Sess. IV. rite expensa Sess. V. rite confirmata sunt per - Placet. Scilicet memine contradicente.* Caniculi quidem hominis simbriam possunt mordere, sed non audent invadere: ita hodie scioli quidam possunt Doctorum commentarios mordere sed (irritus scilicet foret conatus) ipsam rem redarguere non præsumunt: scribit Thriverius.

Illud verò quod Nat. Alexander effugium adinvenit, quasi Cardinales & Oratores Regis Galliarum interesse Sess. IV. & V. recusarint,

non quasi decretis seu decernendis penitus repugnârunt : sed quando ipsis adhuc non fuit plenè aperta materia agendorum in illis Sessibus ; hoc ut commentum ab aliis exploditur , qui contrarium ex Actis dilucidè ostendunt , in quibus refertur , ut supra , quod Cardinalis Florentinus in ipsa Sess. IV. pronuntiando Decreta , dum ad verba *De reformatione Ecclesie in Capite &c. &c.* quæ Nationes in schedula delere intermiserant , pervenit , substitit , eaque falsa esse , & præter communem deliberationem addita palam edixit. Atque idem fuit omnium Cardinalium iudicium. Frustra quoque obtendit Du Pin , quod protestatio à Legatis Franciæ facta non contra Decretum : sed adversus alia quædam , quæ in Sessione V. definienda esse ferebantur. Nisi enim fidem faciat ex Actis & testibus , quæ fuerint illa alia , quæ tunc ferebantur illa Sessione definienda , nemo ei fidem adstringere debet.

III. Nationes Constantiæ congregatæ & Cardinales tantùm de Obedientia Joannis XIII. nequaquam constituebant Concilium Generale , repræsentans Ecclesiam Catholicam , ergo Conciliariter Decreta condere non valebant ; præsertim cum Joannes ante Sess. IV. discessisset. Et quia Obedientia Gregorii XII. item Benedicti XIII. quæ ut Eugenius IV. in Apologia asserit , non modica pars erat Christianitatis , Constantiensem congregationem pro Concilio Universali non habebant ; oportuit , ipsis convenientibus , primò ab Obedientia Gregorii , deinde ab Obedientia Benedicti novum convocari Concilium. Imo Gregorius ipsam Concilii convocationem , Joannis autoritate factam pronuntiavit illegitimam , atque novam sua autoritate faciendam expressè asseruit ; quæ Sessione XIV. sic facta & admittà fuit. Benedictus etiam Concordata iniit cum Deputatis , quod ab utraque parte fieret nova convocatio ; & Patres Constantienses abstinent in litteris convocationis à Titulo GE-

NERALIS CONCILII. Deinde huius Obedientiæ unio cum cæteris Patribus Constantiæ Sess. XXII. facta fuit. Antequam verò illa fieret , litteræ cum inscriptione ad Congregationem quatuor Nationum in Constantia coram Patribus fuerunt lectæ , qui nullam sibi injuriam ex omisso titulo , GENERALIS CONCILII , fieri existimârunt ; nihilque ad illud responderunt ; quin potius ante unionem duarum Obedientiarum sese universam non repræsentasse Ecclesiam tacitè admiserunt. Cumque iidem convocationem admisisset in litteris citationis , Congregatio abstinuit à titulo CONCILII GENERALIS : & citatorum litteræ in publica Sessione sunt lectæ , in quibus nulla Concilii Generalis mentio fiebat. Hoc omnia fœneratur ex Actis Concilii editis & ineditis Schelstrate in *Dissertatione Antwerp.*

Huic manibus pedibusque obsistunt citatores Galli & cornua disputationis commovent , ut legitur apud Ciceronem *Lib. 2. de Divinit.* prætenduntque , quod paulò ante in Concilio Pisano uniti Cardinales utriusque Obedientiæ tum Gregorii XII. tum Benedicti XIII. (à quibus hi Pontifices depositi , electusque Alexander V. qui pro vero Pontifice habitus est ; eoque mortuo electus Joannes) universalem Ecclesiam unâ cum Episcopis repræsentaverint : hujus autem Concilii Constantiense fuerit continuatio , vel quodammodo reintegratio.

Insistit quidem suæ replicationi Schelstrate , nimirum Cardinales fuisse refragatos Decretis Sess. V. & eorum conclusioni obstetisse ante Sess. IV. contra eorum publicationem protestatos fuisse ante Sess. V. in ipsa publicatione coram PP. recusasse annuere ; quando renuente Cardinale Zabarella , electus Posnaniensis Andreas Laschari tandem ea Decreta pronuntiavit.

Verùm , quod pace hujus viri eruditi dictum sit , hæc replicatio nequaquam infirmat

vim oppositi. Aliud enim est Cardinales congregatos non constituisse Concilium Generale, quod Ecclesiam repræsentet, proinde non valuisse Decreta universalia, quod prætenditur; aliud Cardinales fuisse refragatos Decretis in Concilio Generali factis, quod prius non probatur. Etenim hæud infrequenter accidisse constat ex variorum Conciliorum Actis, quæ pro Legitimis habentur, quod aliqui Patrum fuerint protestati. Neque quorundam protestatio semper irritat actum aut Decretum: multò minus Concilii œcumenici authoritatem infringit aut imminuit. Quare esto Cardinales quicumque ante Sels. IV. vel V. ut post XIV. & XXX. protestati sint, se nolle consentire aut sese non teneri huiusmodi Decretis: sicut etiam Hispanica Natio, cuiusdam Decretis, etiam si aliàs valida existerent, se non ligari edixerat. Ex hoc tamen capite minus bene statuitur Concilium Constantiense non fuisse Generale aut Legitimum.

Id verò ex longè alia ratione desumendum putant alii: Nempe, quod Concilium Pisanum fuerit convocatum à Cardinalibus utriusque Obedientiæ, qui à Gregorio & Benedicto recesserant, ut liquet ex Actis. tom. 6. *Specileg.* Luca D'Acherii & tom. 11. Concilior. Labbæi. Unde Benedictus sese huius congregationis iudicio non esse subiectum respondit. Gregorius quoque ad se Concilii convocationem spectare constanter asseruit; ipsosque Cardinales ad aliud Concilium evocavit. Nihilominus iidem Cardinales perrexerunt, & binos de Papatu contententes tanquam schismaticos & veros hæreticos deposuerunt: deinde Alexandrum V. elegerunt, cui paulò post defuncto Joannes XXIII. successit. Interim tamen non modica pars Christianitatis, tum Gregorio, tum Benedicto adhæsit. Et pro huius quidem Pontificatu Salmanticensis Universitas cum Hispaniarum Ecclesiis allegarunt rationes suas: stabant quoque Regna Scotia, Navar-

ræ, Castella, Aragoniæ, Insula Majorca, Sardinia, Corsica &c. In obedientia attem illius, usque ad cessionem persistenter nobilissimæ Italiæ Urbes cum tota Romania; Episcopatus Wormatiensis, Spirensis, Verdensis. Viri item eruditi, inclyti ac timorati pro eodem scripserunt Gregorio contra Concilium Pisanum teste S. Antonino *part. 3. Chronol. tit. 212.* ubi affirmat ipsum non colluisse, nec hæreticum nec schismaticum fuisse, quin potius Pisanum Conciliabulum schisma auxisse. Quod si ergo Pisanum vacillet Concilium; quid roboris inde poterit provenire Constantiensi? præsertim dum illa condidit Decreta, quando Joannes ab his Cardinalibus electus Pontifex discesserat, & conquestus fuerat, quod Patres molirentur decernere falsa & erronea. Concludendum itaque, quod ante unionem trium Obedientiarum Concilium Constantiense pro Oecumenica Synodo in Ecclesia non sit habitum nec receptum; quantumcunque Cardinales duarum obedientiarum citra Papæ illum, quem agnoscebant, voluntatem interfuerint tam Pisanæ quàm huic Congregationi.

Nec est quod quisquam Adversariorum oggerat, sufficere, quod omnes Orthodoxi Episcopi sint ad Concilium vocati; quia huic respondetur, Legitima Authoritate non fuisse convocatum, quemadmodum sentiunt plurimi Theologi, qui in diversis Regionibus illo tempore, & postea scripserunt.

Urget tamen Maimbourg præcedens argumentum, dicitque, si obster Cardinalium absentia, quominus Concilium Constantiense sit Legitimum & Universale, aliorum quoque Conciliorum rueret Authoritas: possentque hæretici objicere contra Tridentinum, non fuisse universale, in quo non fuerunt Episcopi Ecclesiarum Angliæ, Scotia, Daniæ, Antistites Orientis, Aegypti, qui non magis dici poterant de obedientia Pontificis Romani, quàm illi, qui Petrum de Luna, aut Gregorium XII. seque astur.

Hanc ineptam instantiã judicat Schelstrate Catholico Scriptore esse indignam, quam Maimbourg posuit in os Hæreticorum. Eam certe paucis ab hinc annis expanso rictu recepit alias siliquis incrassatus, citatus mordaci virulentia famosus Historicus *loc. memorato* eructans, quod Maimbourg rectè sic Schelstratium arguat. Quod si huic objectioni quid insit, Protestantes possent potiori jure illud objicere adversus Tridentinum. Neglexit intempertivus censor illud Phocylidis paræneticum. *Ne de lite pronunties.* Quo voluit non temere judicandum aut inscitè pronuntiandum de quopiam, nisi re ultro, citroque diligenter cognita.

Quam rectè arguant, & quo jure illud heretodoxi objicere possent, ex falsa responsione ipsiusmet Schelstratii *cap. 3.* conijcere fas est. Concilium scilicet non indigere eorum præsentia, qui foris sunt, Anglia, Græcia, & Orientis regiones in Schisma & hæresin prolapsæ erant, ut illarum Episcopi æquè ac Germani, Lutheri asseclæ extra Ecclesiam, propter rebellionem constituti essent. Potuit itaque sine his Ecclesia per Concilium Tridentinum representari, prout re ipsa representata fuit. De quo vid. Sfortia Pallavicinus *Hist. Conc. Trid.* Sed aliud erat de Concilio Constantiensi, à quo Catholici ipsi, ex rationibus supra memoratis, aberant: quibus Concilio contradicentibus & repugnantibus, tota Ecclesia Constantiæ representari non poterat. Accedit Caput defuisse Ecclesiæ, sine cujus consensu hujusmodi Decreta, qualia Sess. IV. & V. lata sunt, robore suo carere dignoscuntur. Quemadmodum Concilii II. Constantinopolitani pro Primatus honore Ecclesiæ Constantinopolitanæ tribuendo Canon, nullius roboris fuit, eo quod Sedes Apostolica neque per Legatos Concilio adfuit, neque per se Canonem illum approbaverit. Ita ille, qui, dum bene distinguit, bene docet. Quod si enim is, qui Ecclesiam non audierit, sit habendus ut Erhni-

cus & publicanus; qui Ecclesiæ hostes poterunt interesse Congregationi, quæ Ecclesiam representat? Si devitandus hæreticus post unam vel alteram admonitionem, seu correptionem, juxta quod Doctor Gentium suum instituit Titum discipulum; quomodo plures hæretici poterunt assumi ab Orthodoxis in Spiritu Sancto congregatis, ubi fidei materia tractatur & credenda proponitur? Si S. Joannes Apostolus *Epist. 2.* veter hujusmodi homines in domum suam recipere & AVE eis dicere; qua ratione ii admittendi erunt ad subsellia Patrum, ut cum his tractent de religionis mysteriis? Quando Concilium Tridentinum fuit celebratum, si non omnes Orthodoxi Episcopi comparuerint, omnibus equidem patebat aditus, nemo eorum sese hujus Decretis juste opposuit, quemadmodum tempore Constantiensis Concilii factum fuisse negari nequit. Igitur aulla est consequentia ab hoc ad illud.

Nihilominus terribilia quædam alia sequi autumat Maimbourg, si ex eo dicantur Concilii Constantiensis Decreta invalida, quod abfuerint duæ Obedientiæ & Pontifex non interfuerit. Primum est, quod condemnatio errorum Wiclef & Hus sit invalida. Secundum, quod sententia Joannis Petir, de licita occisione Tyranni à quocunque Vafallo facta, non esset ut hæretica proscripta. Tertium, quod Joannes XXIII. non fuisset legitime condemnatus & depositus. Hæc enim aliaque ante unionem trium Obedientiarum contigerunt.

Ob hunc verborum strepitum impavidi nequaquam in pedes retrocedunt, & terribiles, quantumcunque pertimescendas, sequelas negant. Damnatio, inquiunt, Wiclef & Hus à quatuor Nationibus cum debita deliberatione & Cardinalium consensu facta est. Quam sententiam Martinus V. Bulla speciali approbavit & publicari fecit. Deinde de sententia seu doctrina Joannis Petir Sess. XV. decerni-

decernitur, quod, quicumque eam pertinaciter asseruerit, vel tueri præsumserit Hæreticus habendus sit: ideoque hoc Decretum, ut alia in materia fidei Conciliariter facta, Pontificia fuit autoritate confirmatum Sess. XLV. Joannis depositionem tres Obedientiæ congregaræ, deinde etiam Martinus V. adeoque tora accepit Ecclesia. Atque hoc modo illi explodere conantur viri imperterriti terribiles sequelas, quas posthaberi volunt velut somnia quæ

Tibul. 3. 4.

*fallaci induunt temeraria nocte
Et pavidas mentes falsa timere jubent.*

Attamen si alteri Poëtæ credimus. **HABENT ET SOMNIA PONDUS.** Quæ, si quis velit deducta lance æqua ponderare, non usque adeo levia deprehendet. Vel enim Joannes XXIII. fuit Legitimus Pontifex, vel non fuit. Si fuerit, utpote Alexandro V. ab utraque Obedientia suffectus, non potuit exautorari per Nationes Constantiæ congregatas & Cardinales suæ Obedientiæ, quibus nulla in Pontificem competeat potestas; quandoquidem non representabant Ecclesiam Universalem, ut antea satis remonstratum. Imo neque Concilium Generale Legitimum talem sibi appropriare potestatem poterit, nisi tanquam certum admittatur, quod sit supra Summum Pontificem; de quo tamen Doctores usque huc minimè convenerunt. Quidquid ergo ab his Nationibus & Cardinalibus istius Obedientiæ Decretum fuit, quod à Pontifice Joanne non fuit approbatum & ratificatum, nullam vim habere potuit; conformiter iis, quæ Damasus, Leo, Pelagius, & Concil. Generale VII. deceverunt de approbatione necessaria Conciliorum per Rom. Pontificem. Neque huc quadrat, quod Papa manifeste hæreticus sit ipso facto depositus; Joannes enim nunquam hæreticus exitit. Quanquam verò talis dicebatur à quibusdam Adversariis;

attamen Cardinalis S. Marci Sess. XI. post lectam sententiam contra eundem, Patres admonuit, quod, examinatis cunctis depositis; de crimine hæreseos non constaret, atque hinc sententiam tunc publicare non sunt ausi. Porro Acta edocent, quod Joannes fuerit condemnatus & depositus propter clandestinum recessum, vitam scandalosam, malam spiritualium & temporalium administrationem, ut in ipsa quoque sententia præfertur. Cum itaque depositio Pontificis fuerit attentata sine sufficiente causa; non apparet quomodo subsistat; esto etiam eandem duæ aliæ Obedientiæ ratificassent. Spontaneam & liberam Joannis resignationem credit, qui volet. Qui autem rerum circumstantias, absque mentis præjudicio bene perpendent, & quod metus augeat voluntarium, minuat liberum, id sibi persuasionis nequaquam induent Joannem in tali perplexitate libere cessisse. Rebus ita constitutis confirmatio Decretorum à Martino V. vivente adhuc Joanne, facta, nullum iis robur attulisset.

Quod si verò Joannes non fuerit unquam Legitimus Pontifex Romanus, jam neque Concilium per ipsum Constantiæ convocatum & inchoatum haberi debet Legitimum; ejusque Decreta sunt censenda irrita, saltem ante accessum duarum Obedientiarum, quando fuit facta nova convocatio Concilii Generalis, imprimis nomine Gregorii XII. deinde nomine Benedicti XIII. ut secundum Concordata Narbonensia *mediante hac unionem Constantiense Concilium Universale totius Christianitatis fieret.* Post verò factam illam unionem de Decretis præcedentibus in Sessionibus sequentibus nihil tractatum fuit, multo minus illa fuerunt ratihabita; quin potius in ea protestatione, quam Cardinalis Pisanus dedit legendam, ex parte Nationum Hispanicæ, Gallicæ & Italicæ ac sacri Collegii Cardinalium, expressum habetur, Ecclesiam ante fuisse instar corporis Acephali.

Qui

Qui, cum Scheistratē admittunt Joannem XXIII. dubium fuisse Pontificem, de quo scilicet certū non constat, an legitimus esset, vel non; admittere quoque debent, Concilium ab ipso convocatum & inchoatum dubiā quoque esse authoritatis, & quæ per ipsum sunt Decreta manere dubia; atque tunc vis prioris argumenti illas sequelas continentis, non erit omninō infracta; manebitque semper in ambiguo, an Concilium, de quo dubitatur, sit universale & legitimum, possitque deponere Pontificem dubium; quo superstitē nequidquam poterit certū de successo statui. Nonne filium Theſci habere necesse est, ut hoc labyrintho quis evadat?

Quod de approbatione & confirmatione Decreti Sessione V. discutiendum venit, ex plurima parte per ea, quæ superius adducta sunt, expediri videri possēt. E re tamen erit, quæ magis urgent, & multum hanc controversiam elucidant, paucis perstringere. Fuisse Decretum hoc à Martino V. confirmatum, Maimbourg, Du Pin post alios nituntur evincere sequentibus.

I. Martinus V. P. M. statuit, ut, qui ab hæresi ad Catholicam fidem convertuntur, in sui receptione interrogentur, An omne illud probent, quod probat Synodus, illudque condemnent, quod eadem Synodus damnat. Cum itaque Synodus probeat Decretum Sess. V. promulgatum, & ab aliis accedentibus Obedientiis minimè rejectum fuerit; Pontifex sic statuendo de faciendis hujusmodi interrogationibus in Hæreticorum conversione, idem Decretum, saltem implicitè, approbavit.

II. Martinus V. Sess. XLV. omnia & singula Constantiensis Concilii Decreta in materia fidei Conciliariter facta in terminis clarissimis approbavit & confirmavit; ergo etiam Decreta, quæ Sess. IV. & V. fuerunt facta, quæ ad materiam fidei indubiè spectare dignoscuntur; sicut spectare decrevit

Concilium Generale Basiliensē Sess. XXXIII.

III. Illustrissimus Galliarum Clerus Lutetiarum Parisiorum Authoritate Lodovici Magni Regis ex variis Provinciis adunatus Anno 1682. statuit, ac declaravit, quod Decreta Concilii Constantiensis Sess. IV. & V. tanquam ab Oecumenica Synodo edita, & à Sede Apostolica comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum usu, æque ac totius Ecclesiæ confirmata valere debeant, atque immota consistere, cujus Declarationis defensio ab Illustrissimo Bossuet Episcopo Meldensi scripta & elaborata Anno 1730. demum prodiit per Episcopum Tricastinum; malæ causæ pejus patrocinium. Quod ergo tot tantisque viris visum fuit, id immeritò in dubium vocatur.

Horum imbecillitas patet imprimis ex falsa hypothēsi, quod ea ad materiam fidei spectent, quæ Sess. IV. & V. statuta fuere. In quo nulla est habenda ratio Concilii Basiliensis Sess. citata: cui tunc, ex Ordinatione Eugenii IV. omnis Legatorum potestas erat ablata. Cum itaque in Constitutione Martini V. de interrogandis ad fidem convertis; utrum credant, quod illud, quod Synodus Constantiensis approbavit & approbat in favorem fidei & salutem animarum, hoc esse ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum, nequit illud, quod cit. Sess. statutum est, huc extendi; eo minus, quod non habeatur in formula interrogationis, An converti, sine exceptione probent illud, quod probat Synodus. Quantumvis etiam gratis supponeretur, quod articulus Sess. V. de Authoritate Synodi supra Pontificem, ad fidem spectaret, quemadmodum Basilienses statuerunt, sed, ut Cans scribit, turpiter & pueriliter errant, non tamen hoc ipso sunt confirmati à memorato Pontifice. Quia in formula non solum dicitur, QUÆ CONCILIIUM APPROBAVIT, sed insuper additur, QUÆ APPROBAT,

Ut con-

ut constaret non agi de omnibus Decretis, quocunque tempore editis: sed de iis solum, quæ post trium Obedientiarum unionem; si-
ve tunc, quando hoc interrogatorium emanabat, à Concilio approbantur; quæ
non erant Decreta Sess. V. Atque minus
faveret illius Pontificis approbatio Sess.
XLV. Siquidem in ea Bulla agitur dun-
taxat de Decretis in materia fidei; iis scilicet,
quæ contra Hæreticos sunt definita: ut
Sess. VIII. XV. & XXI. factum, sicut etiam
Cajetanus animadvertit. Quoniam ad peti-
tionem Legati Poloniæ Regis illa approbatio
facta est, qui hoc tantum exi-gebat, ut acta
in Concilio contra Hæreticos confirmarentur;
proindeque non cadit confirmatio super
articulos de potestate Ecclesiastica, qui
neque sub materia fidei comprehenduntur;
neque simpliciter sunt Decreta, seu fidei
dogmata: sed Constitutiones Synodales;
quæ nihil aliud sunt, quam Leges, quibus
obligantur fideles, postquam debitè ac le-
gitimè promulgata fuerint. Certum est au-
tem quod electus Posnaniensis memora-
tos articulos per modum Constitutionum
Synodalium publicaverit. Cuius Pontifex
prudenter expresse, se Decreta confirmare
& ratificare. **CONCILIARI-
TER FACTA, ET NON ALIO MO-
DO.** (NB. epitalin) supposuit quædam
non Conciliariter facta, & hac salutari clau-
sula indicare voluit, se articulos Sess. IV. uti
& V. promulgatos, contra quos Cardinales
& Legati Regis Galliæ protestati fuerant,
minimè ratificare; qui, sicut etiam Bel-
larminus observat, Conciliariter non sunt
facti, & juxta Cajetanum, aliosque
Theologos ad fidem nequaquam spectant.
Imo cum Natio Germanica inter cæteros arti-
culos hunc maximè urget decidendum.
Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi
ac deponi; respondit Pontifex Martinus V.
cum pluribus aliis Nationibus. *Non vide-
tur, prout nec visum fuit in pluribus Na-*

*tionibus, circa hoc aliquod novum statum
vel decerni.* Illustrissimi Cleri Gallicani
Decisiones, quantumcunque in patria
respicendæ, non sunt tantæ apud exteras
Nationes auctoritatis, quantæ olim apud
plerosque erat Oraculum Delphicum ex Tri-
pode profectum. Ipsimet Summo Pontifici
abjudicant Anamartisiam, hanc proinde
eorum Decisionibus nemo attribuet. Et si
Patres in Synodo Generali errore aliquan-
do decepti sunt in iis, quæ facti erant;
nulla irrogabitur vitis spectatissimis injuria,
quando dicetur, eos Nationis studio, alia-
vè ratione inductos in suis Decisionibus quæ-
dam admisisse, quæ aliter se habent, quam
sibi & aliis persuasum vellent. Certè Hen-
ricus Spondanus Apameensis in Gallia Epis-
copus eruditionis laude nemini secundus,
& in Gallicarum Bibliothecarum Codicibus
pervolvendis diligentissimus, non solum
Decretum Concilii Constantiensis Sess. V.
ordine secundum: sed & aliam clausulam
primum Decreti, de reformatione Ecclesiæ in
Capite & in membris à Martino V. improba-
tum fuisse memoriæ tradidit; adeoque De-
cisio Cleri Gallicani nullatenus subsistere po-
terit: de quo videri poterit Illustrissimi Ge-
orgii Schelpechemi Archi-Episcopi Strigo-
nienensis Epistola Synodica ad omnes Christi
fideles regni Hungariæ. Major utique habenda
est ratio illius Decreti, quod Alexander
VIII. P. M. die 7^{ma} Decembris Anno 1690.
edidit contra 31. propositiones, quarum
29^a hæc est. *Futilis & toties convulsa est
assertio de Pontificis Romani supra Concilium
Oecumenicum auctoritate, atque in fidei
questionibus decernendis infallibilitate.*
Quam ut minimum tanquam temerariam
damnat & prohibet; ita, ut quicumque illam
defenderit, ediderit, aut de ea disputati-
vè publicè aut privatim tractaverit, nisi
forfan impugnando, ipso facto incidat in
excommunicationem Romano Pontifici re-
servatam.

Sed hoc Breve, Alexandri, ut alia Ponticum Declarationes, gravi etiam deliberatione prius habita, facta & publicata, non magni sunt ponderis apud illius Gentis ingenia morosa & heteroclitica, quae Ecclesia sua tuendo libertatem, liberius supremiam coarctant auctoritatem hierarchiam. In quo dum saepe citatus excessit nuperus Scriptor Gallus, ubertate eruditionis conspicuus, qui alios velut nimis erga Sedem Apostolicam devotos subsannans, se ipsum alicubi minus reverentialem in sua *Bibliotheca nova*, aliisque lucubrationibus erga eandem exhibet; nihilo formidans Potentium offensas immemorque illius.

Mart.

- - - - - rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris urfi.

Multum sibi accersivit negotii; ac Rege Christianissimo iubente, opera Clementis XI. P. M. oblationes licentiosas relegatus, ultricis irae non leves luit poenas; quoadusque relaxatus etiam reliquum vitae tempus in turbulenta tempestate peregit. Minus severam ejus syllitus tenuit vindictam, dum Innocentii XI. P. M. iussu à Societate JESU veteranus dimissus regiam adeptus fuit protectionem. Quo autem pratensum ille suum calumniatorem adortur calamo §. 6. *Dissert. 6. de antiq. Eccles. discipl.* eodem calumniae vitium in se recidere prodit; suoque, ut ajunt, ipsius indicio perit forex. Probaverat Schelstrate, tantum abesse, ut Martinus V. haec Decreta approbaverit, quin è contra, dum solus obstitit Concilio, ne liber Joannis Falckenberg damnaretur: cumque unus ex Legatis Regis Poloniae ad futurum Concilium sese appellaturum diceret, Pontifex ei silentium sub poena excommunicationis injunxit. Adfert deinde ejusdem Pontificis Constitutionem, finito Concilio promulgatam, in qua haec

reposita est assertio. *Nulli fas est à summo judicio, videlicet Apostolico, seu Romano Pontifice JESU Christi Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei, quae tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferenda sunt, declinare.* Pius etiam II. hujusmodi appellationem sub poena excommunicationis prohibuit. Haec autem Martini V. Constitutio, cujus etiam Gerlon meminit, cum Du Pinum ineluctabiliter constringeret, evinceretque Pontificem nullatenus approbasse illud, quod Sess. V. de Superioritate Concilii supra Pontificem erat decretum: non solum Sanctissimum Christi Vicarium levitatis arguere: sed, sequeltratam verecundiam, ut est apud Macrobius, omnes omnino Pontifices convicti aulus fuit respondendo. *Martinum id fecisse, quod facere consueverunt omnes ad summum ecclesiæ fastigium; ut immemores eorum, quae prius tenuerunt, aliam mentem induant. Quippe is ad Pontificatum à Concilio erectus, quamdiu Concilium stetit, sese morigerum & obedientem Concilio exhibuit: nec suam potestatem illius auctoritati praetulit. At statim atque Concilio finis impositus, suam cepit extollere auctoritatem.* Sed, ut in proverbio est, Frustra Herculi calumniam struxeris. Frustra quoque obtenditur promulgatam non fuisse Constitutionem illam. Nam etiam si latuisset; sufficit tamen ad demonstrandum, Martinum nunquam in animo habuisse, ut decretum huic Constitutioni contrarium approbaret; esto non legatur, ut supra annuadversum, quod publice & authenticè reprobaverit; qui nonnulli ad fidem spectantia & CONCILIALITER facta sese confirmare aperte declaravit. Sanè Eximius P. Bernardus Desirant Ordinis Eremit. S. Augustini Sctae Theologiae Doctor in insigni illo opere quod *Consilium pietatis &c.* nuncupavit, Romae Anno 1720. & Coloniae 1725. edito

edito *Dissert. 3.* sagaciter advertit, multa in Concilio Constantiensi tumultuariè, ac contra normam observandam fuisse peracta, inter quæ utique recensenda, quæ cit Sels. fuere Decreta de Superioritate Concilii; quæ ad fidem spectare tam absurdum videtur; quàm absolum erit, eos dicere hæreticos, qui his suam accommodare fidem detrectant. Ad fidem pertineat, quod Concilium Generale universam Ecclesiam representet, quodque in Decretis fidei nullo modo errare possit ob Spiritûs Sancti assistentiam. De cætero locum habeat Textus Decretalis Innocentii III. Cap. A nobis. *De Sent. Excom. Judicium Dei, veritate, qua nec fallit, nec fallitur, semper innititur. Judicium verò Ecclesia nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli.* Ex his omnibus perspicere fas est, quanta animositate callida Gallo-

rum Gens Decretorum illorum integritatem & autoritatem propugnet. Quibus autem agentur stimulis, facile conjiciet qui observabit, quod, ipsis applicabile, fuit ab Eusebio apud Stob. Serm. 4. observatum *Multi homines disputando de rebus haud secus quàm animantia bruta pugnando solam sibi victoriam proponunt; ut autem nihil præter utilitatem suam agatur; & ne rerum veritas offendatur, ejus rationem nullam habent.*

